

6.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
INSIGNI  
CAMPHORÆ ACTIVITATE  
MEDICA

QVAM  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU  
SUB DECANATU  
VIRI EXCELLENTISSIMI  
JOH. FRIDERICI CARTHEUSER

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.

PRO GRADV DOCTORIS  
ET PRIVILEGIIS HUIC DIGNITATI COMPETEN-  
TIBUS LEGITIME OBTINENDIS  
PLACIDÆ ERUDITORUM CENSURÆ  
SUBJECIT

Moses BÖHM,

LIPNA - BOHEMVS.

M DCC XLV. DIE XV. OCTOBRIS.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis MARTINI HUBNERI.

6.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
INSIGNI  
CAMPHORAE ACTIVITATE  
MEDICA

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU  
SUB DECANATU

JOH. FRIDERICI CARTHEUSER

MD. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.

PAC. GRADY DOCTORIS

ET PRIVILEGIIS HUIUS DICENSIS COMPETENTIBUS  
LEGITIME OBTINENDIS


PLACIDA SUBURBIORE CURSURA

Mosses Böhm

MDCCCLXXV

Typis Martini ...





DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
INSIGNI CAMPHORÆ ACTIVITATE  
MEDICA.



§. 1.  
De Camphoræ actibus actum quidem agere, & Iliada, quod ajunt, post Homerum canere ple-  
risque videbor, cum dudum LEMERY, FRI-  
DERICUS HOFMANNUS, TRALLESIIUS, NEU-  
MANNUS, & complures alii, quorum nomina,  
evitandæ prolixitatis causa, silentio prætermittam, de  
Camphoræ origine, natura, & egregia activitate medica  
multa scripserint, & eorum aliqui de singulis hisce integros  
tractatus, atque peculiare dissertationes in publicam emi-  
serint lucem: Verum enim vero, cum practicoꝝ plerique  
efficaciam ejus nihilominus reformidare, eandemque ex  
vano hoc metu internè adhibere creberrimè dubitent, nego-  
tium non prorsus inutile memet suscepturum existimavi, si,  
præ-

præmissa brevi originis, naturæ ac modi operandi adumbratione, ea quoque, quæ hactenus circa usum ejus internum mihi in praxi observare contigit, communicarem, & medicos, nimium in hoc passu timidos, paulò audentiores reddere conarer. Ad ipsam igitur thematis ventilationem absque præfamine ulteriori descendam, & potiora, ad excellentissimi hujus pharmaci indolem & usum spectantia, ea, qua fieri poterit, perspicuitate, proponere allaborabo.

§. 2.

Camphorâ, alias etiam *Caphura*, itemque *Casura* dicta, recte in *crudam* & *depuratam* sive *camphoram officinarum* distinguitur. Cruda, ob ad- & inmixtas multas partes recrementitias, nondum perfecto pollet candore, sed gryseum adhuc colorem obtinet, & propter hunc ideo, atque exiguas pariter hastulas crystallinas, ad salis culinæ impurioris ac grossioris formam habitu externo accedit. Colligitur ea, ac sublimando separatur tum in *Japonia* & *China*, tum etiam in *insulis Borneo* & *Sumatra*; maxima tamen quantitas, quæ alibi profat venalis, ex *Japonia* ad gentes exteras transvehitur: In regionibus enim atque insulis posterioribus tanta copia nullibi obvia est, ut inter merces, navibus exportandas, amplio rem locum vindicare sibi atque tueri possit.

§. 3.

Differunt etiam forma, tum totius, tum partium, externa arbores, quæ in insulis *Borneo* & *Sumatra* camphoram reddunt, ab arboribus, quæ idem concretum in *China* atque *Japonia* largiuntur. Nam arbor camphorifera *Japoniæ*, quæ à *KÆMPFERO* *Laurus camphorifera* vocatur, & in *Japoniæ* tractibus occidentali- bus, maximè autem provincia *Satzuma*, in insulisque adjacentibus uberioris proventus est, ad vastam tilix magnitudinem ex- crescit: Radicem habet, uti vix memoratus *KÆMPFERUS*

re-

refert \*) , validam ac partim brachiatam, largiori tamen præ partibus reliquis substantia camphorata instructam. Truncus cortice scabro nonnihil ac pulli coloris, rami verò juniores nitente, lævi, viridiusculo, facile tamen, ob interioris superficiei glabritiem & mucositatem, detrahendo, cingantur. Medulla magna, fungosa & lignosa est, lignum recens candidum, exsiccatum verò colorem ex ruffo variegatum acquirit. Folia lauri vulgaris, vel etiam, teste BREYNO  $\beta$ ) tiliæ nostratis foliis quodammodo similia inveniuntur, & flosculi, qui mense Majo, Junioque in fastigiis ramulorum inter foliorum axillas prodeunt, albi & hexapetali sunt, iisdemque tandem bacca succedunt, per maturitatem atro-purpurea & splendentes, pisa majora magnitudine æquantes, figura quodammodo turbinata, pericarpio molli purpurascente & sapore ex camphora caryophyllaceo præditæ, quæ intus nucleum, grani piperis magnitudine, cortice nigro micante obductum, bifidum, oleosum, fatui saporis, continent.

§. 4.

Alter a arbor camphorifera, quæ insulas *Sumatram* & *Borneo* patriam agnoscit, secundum GRIMMII descriptionem  $\gamma$ ), caudicem habet recte adscendentem, & ramos suos eleganter explicat. Lignum ejus, ob duritiem & texturam compactiorem, ad ædificia perutile reperitur, & , serra discissum, fortem spirat odorem, multumque ostendit pingvedinis: Folia sunt magna & carnosæ, antè acuta, & camphoræ odorem contrita emittunt, qui non adeo diu tamen perdurat, sed denuo, consumptis exhalatione particulis volatilibus, cessat; magna cæteroquin hæc & arboris caryophylliferæ folia quoad formam similitudo intercedit. Fructus, quos profert, formam similitudo intercedit. Fructus, quos profert, formam similitudo intercedit.

A 3

moff

\*) In *Amœnit.* exot. p. 771. seqv.  $\beta$ ) V. *Miscell.* N. C. G. ann. 4. observ. 130.  
 $\gamma$ ) *Ibid.* Dec. 2. ann. 1. p. 371.

mosi sunt, atque oblongé rotundi, parvamque nucem avellanam magnitudine æquant. Cortice tenui cinguntur, quæ rursus, instar nucum avellanarum, alteri elegantis formæ tunicæ, diversis coloribus, rubro scilicet, purpureo, flavo, ac viridi, præditæ, inclusa hæret. Hæc posterior integrum contegit fructum & superius instar tulipæ, quam figura etiam nonnihil refert, sese aperit. Fructus conditi grato pollent sapore & subtili odore camphorato, adeoque etiam in India inter præstantiora referuntur alexipharmaca. Ex fructibus hisce, ut & ex foliis ac floribus aqua destillata satis activa, itemque oleum ætherum & expressum elici possunt, & ex ligno quoque, ad medullam usque discisso, copiosa materia oleosa prodit.

## §. 5.

Ex foliis, cortice, ligno, ramis, & maxime radicibus contritis, raspatis, aut grossiusculè saltem dissectis, arborum, descriptarum camphora cruda ab Indiæ & Japoniæ incolis, inprimis à rusticis provinciæ Japonicæ *Satzuma* & insularum *Garbo* singulari destillatione ac sublimatione separatur. Methodus hæc ab auctoribus diversimode quidem describitur, plerorumque tamen descriptiones ad sequentia redeunt: Radices scilicet discissas, quæ præ reliquis arborum partibus camphora abundant, vel simul etiam, si sufficiens radicum copia desit, folia, cortices, lignum, & ramos cum aqua simplici, tanta quantitate adfusa, ut species aliquantulum tegat, in vesica vel aheno ferreo aut cupreo, cui amplum capitellum sive alembicum, fictile, rostratum, intus pileo seu operculo stramineo obductum, imponitur, coqvunt, & igne moderato, lutatis prius commissuris, & receptaculo adaptato, camphoram in alembicum, ubi forma sicca capitello stramineo adhæret, ex parte etiam cum aqua transillante in applicatum receptaculum, propellunt <sup>a</sup>).

## §. 6.

<sup>a</sup>) Conf. Breynius l. c. ir. Kämpf. l. c. p. 272. Neumannus in Lect. de camphora.



## §. 6

Occurrunt etiam, teste laudato GRIMMIO <sup>β</sup>) multæ inter arbores camphoriferas, hoc concreto reliquis longè ditiores, quæ ideo etiam camphoram nativam, puram, candidam, virginæam, absque ulla sublimatione ac destillatione separandam, largiuntur. Incolæ igitur, postquam externis quibusdam signis, quorum GRIMMIUS tamen nullam specialem fecit mentionem, cognoverunt, arborem camphora divitem esse, omnibus eam foliis, nec minus cortice ac ligno externo, usque ad medullam, spoliant, & camphoram ex medulla fissa, in qua hinc inde, sub forma falis coagulati, tenuis, crystallini, foliati, latet, eximunt: Quæ mæsis tamen non adeo largaprehenditur, dum magnæ arbores unam duntaxat libram, vel libram unam cum dimidia, libras duas, & ad summum tres libras suppeditant.

## §. 7.

Ultima hæc camphoræ species nulla depuratione, nulla nova sublimatione indiget, rudis vero seu cruda ordinaria, quæ methodo, in antecedentibus descripta, separatur, & impuritatibus adhuc remixta est, denuo sublimanda est, ut formam & proprietates, quibus camphora Officinarum instructa reperitur, acquirat. Olim hanc sublimationem depuratoriam, quam Indi ignorant, quamque Europæi vulgo *Rafinationem* sive *Refinationem* vocant, Veneti suscipiebant, nostra verò ætate illa ipsa optimè ac ferè unicè Amstelodami in Hollandia à nonnullis peragitur, quæ nondum tamen, cum additamenta & præcipuas encheireses studiosè celent, satis innotuit. Opinantur nihilominus aliqui, sequentem procedendi methodum veram esse, vel eidem tamen non adeo dissimilem. Adornatur autem hoc modo: Primo camphoram, grossiuscule contusam, & per cribrum, amplioribus instructum

---

β) L. c.

structum foraminibus, trajectam, ab inhærentibus quisquiliis crasrioribus purgant: Deinde duas circiter libras, aut duas cum dimidia vitro sive phiolæ, fundo æquali, ventre amplissimo, aut simul humili & vix quatuor digitos alto, nec non collo angusto, & aliquod pollicum transversalium longo præditæ, immittunt, eademque in arenæ balneo, ad aliquot pariter pollicum profunditatem, collocata, tantum ignis gradum adhibent, ut camphora aquæ instar fluat, & in hoc gradu tamdiu relinquitur, donec humidum suum per vitrum apertum penitus exhalaverit. Ne dicta autem substantia aquea, sensim ascendens, post aliquam refrigerationem de novo relabatur, & vitri rupturam efficiat, nec sublimate quoque camphora colli lateribus præmature adponatur, sed fluendo rursus ad massam redeat, usque dum humiditas proflus consumpta sit, pannum laneum triplicatum vitri collo usque ad vitri medietatem, relicta tamen vitri apertura, circumponunt, ut collum fortius incalescat, & calor intensior halituum adpositionem impediatur. Verum, cum plurimæ partes camphoræ resolutæ hac ratione per vitrum apertum abituræ essent in auras, cucullo conico, ex charta crasiori parato, & phiolæ imposito, dissipationem earum impediunt, eodemque particulas sensim evectas, & sub florum forma chartæ adhærentes, excipiunt. Peractis primis hisce laboribus, & phlegmate penitus expulso, ignis successive iterum minuitur, cucullus pyramidalis, cum prius applicato panno crasiori auferretur, & pannus rarior, foraminibus instructus, loco ablati circumponitur, ut camphora, in sublime evecta, vitri collo, paullulum hac ratione ac sensim refrigerato, sese adponat, & in unam quoque, eamque solidam & pellucidam, massam, iusto scilicet admoto ignis gradu, colliquefcat. Quo liberior præterea sub novo hoc labore ac vera camphoræ sublimatione aeris accessus, nimiaque partium volatiliū exhalatio præcaveantur, cucullus chartaceus amplior ita vitro imponitur, ut illud ad arenam usque

usque contegat, & singulis hisce rite adornatis, ignis tam-  
diu substernitur, ac sensim augetur, donec tota camphoræ  
moles sublimata, & in placentam compactam & candidam  
colliquefacta sit.

§. 8.

Sic proluxa quidem depuratoria sublimationis cam-  
phoræ descriptio sese habet, dubitant tamen multi, & ego  
pariter dubito, illam tam completam esse, ut nihil amplius  
circa eandem deficiat. Probabile enim videtur, operarios  
camphoræ sublimandæ aliquid, quod partium mobilissima-  
rum dissipationem nonnihil prohibeat, addere, & in prin-  
cipio quoque peculiare encheireses, quas studiosè occul-  
tant, observare. Quicquid interea sit, peracta ac rite adorna-  
ta hac, vel etiam alia, nobis nondum satis nota, sublima-  
tione, *camphora depurata*, seu *camphora officinarum* resultat, *que*, ut  
nunc aliquam objecti nostri definitionem tradam, sistit *singu-  
lare concretum vegetabile, terreo-inflammabile, siccum, candidum, splen-  
dens, crystallinum, volatile, odore fragrantissimo, & sapore acris, urentis,  
ac paululum amaricante præditum.*

§. 9.

Memorata camphoræ depurata proprietates, quarum  
nonnullæ, v. g. siccitas, nitor candidus, forma crystallina,  
odor ac sapor sensus manifeste incurrunt, nonnullæ autem,  
ut volatilitas & sulphurea indoles ex odore fragrantissimo,  
paullatina quidem & invisibili, plenaria tamen, resolutione  
halitiosa, prompta solutione in spiritibus ardentibus, &  
prompta pariter ac totali, si accenditur, deflagratione clarè  
cognoscuntur, tam singulares, instituta scilicet mutua omni-  
um relatione ac correlatione,prehenduntur, ut chemi-  
corum plerique hæcenus ignoraverint, cui corporum generi  
camphora rectè adnumeranda esset, & ideo tantus etiam  
apud scriptores chymico-medicos circa naturam ejus ac vera  
principia constitutiva reperitur dissensus, ut numerosa suc-  
ces-

cesivè innotuerint opiniones, quarum plurimæ tamen vero parum consentaneæ, nonnullæ etiam planè ridiculæ existunt. Alii quippe illam *sal volatile oleosum*, alii *oleum coagulatum*, & alii denique, qui longius, quam reliqui, à vero aberrant, *corpus gummeo-resinosum*, immo, *gummosum*, *succum inspissatum* &c. vocare convayerunt; licet pleræque camphoræ depuratæ proprietates profusè à proprietatibus, quibus salia volatilìa oleosa, olea coagulata, resinæ, gummi-resinæ, gummi, & succi inspissati instructa sunt, distinctæ inveniantur; quemadmodum hæc fufius demonstrare possem ac vellem, nisi B. NEUMANNUM pridem hoc in Lectione supra citata prolixè ac solide fecisse compertum haberem.

## §. 10.

Propius, me sentiente, cum vix laudato NEUMANNO ad veritatis tramitem accedunt, & sententiam, ratione magis & experientia fundatam, tuentur, qui camphoram novum omnino, singulare atque genericum, adeoque à prædictis plane distinctum, concretum terreo-inflammabile adpellant, idemque ex mera terra subtiliori & tenerrima substantia phlogista, oleo longè simpliciori, firmissima tamen interveniente unione, compositum esse contendunt. De terræ enim & tenerioris substantiæ inflammabilis præsentia haud quemquam dubitaturum esse credo, si camphoram accensam flammam lucidam alere, & parum fuliginis atræ sub deflagratione evolvere conspexerit. Luculentius tamen adhuc in hærentis principii inflammabilis simplicitatem probare videtur putatitia camphoræ in spiritu nitri concentratori solutio, & inde resultans verum oleum. Putatitiam voco hanc camphoræ solutionem in oleum: Nulla quippe solutio vulgaris hic contingit, multo minus fusio, uti aliqui opinantur, sed nova plane syncrasis. Nam terra subtilis camphoræ & tenerrima ejusdem substantia phlogista cum acidis quibusdam & paucissimis phlegmaticis aquæ fortis seu spiritus nitri

nitri partibus connubium subeunt, ac novum hac ratione & verum oleum demum producent, quod paululum tamen adhuc causticum est, & injectam argenti limaturam nonnihil aggreditur, nec adeo firma pariter partium constituentium cohæsione gaudet, sed, aquæ frigidæ infusum, denuo dissolvitur, ita ut camphora protinus ad pristinam formam redeat, & aquæ innatet: Quorum phænomenorum causa partim tumultuariæ ac rudiori compositioni, partim etiam nimis copiosæ acidi justò gravioris ad- & inmixturei tribuenda videtur. Natura enim, olea in plantis producens, particulas constitutivas tenerrimas sensim sensimque sub optima proportione miscet ac congregat, & ideo unionem procurat artissimam; quæ singula autem artifex chymicus non semper observat, nec unquam etiam tam exactè observare poterit.

§. II.

Singularis præterea ac novi prorsus concreti generici nomine camphoram dignam esse, certo pariter certius est, quoniam similis naturæ substantia, quanquam paullo impurius, & specifico plerumque plantæ oleo plus minusve imbuta, è pluribus vegetabilibus, tum intuitu generis, tum speciei distinctis, adhibitis tamen decentibus encheirisis, educi potest ac separari, adeoque species quoque variæ, sub uno comprehendendæ genere, reperiuntur. Nam testantibus JOHANNES OTTONE (HELBIGIO <sup>a</sup>), GRIMMIO <sup>β</sup>), & CLEYERO <sup>γ</sup>), qui per annos complures in India orientali vixerunt, & ipsi artis chemicæ theoretico-practicæ satis gnari fuerunt, concretum, camphoræ vulgaris æmulum, è recentibus galangæ, Zedoariæ, Zingiberis sylvestris, cassiæ lignæ, ac cinnamomæ radicibus, immo, ex ipsa cassia lignea, destillando elici ac segregari potest. Similem substantiam, secundum B. NEUMANNI adfertum <sup>δ</sup>), variæ adhuc aliæ plantæ, tum indigenæ, tum

B 2

<sup>a</sup>) Vid. Miscell. N. C. G. ann. 9. & 10. obs. 196. no. 14. <sup>β</sup>) Ibid. Dec. II. ann. 3. obs. 208, & 209. <sup>γ</sup>) Ibid. Dec. II, ann. 4. obs. 6. <sup>δ</sup>) Loc. citat.

tum exoticæ, forti odore aromatico & balsamico, camphorato tamen nonnikil remixto, præditæ, maxime autem salvia hortensis, majorana, thymus, rosmarinus, mentha Zeilanica, nec minus abrotanum, millefolium ac schœnanthum Zeilanicum, itemque juniperus, cardamomum &c. continent, ac chymico industrio, & debitarum encheiridium gnaro, re vera, exigua licet quantitate, largiuntur. Nec ulla denique ratione dubitandum est, corpuscula illa saliniformia, quæ in oleis quibusdam aromaticis, in vasis probe clausis diu adservatis, v. g. oleo cinnamomi, terebinthinæ, menthæ, matricariæ, majoranæ &c., SIARE <sup>a</sup>), GODOFREDO <sup>β</sup>) MENTZELIO <sup>γ</sup>), CRUGERO ac SCHRÖCKIO <sup>δ</sup>) referentibus, paulatim concreverunt, indole sua camphoræ valde analoga fuisse, etiamsi, calore accedente, ex vitris apertis, ob partes unguinosas, quibus implicita hærebant, tam facile in auras evolare nequiverint.

§. 12.

Attamen, diutius horum disquisitioni immorari nolo, sed cognita camphoræ natura, cognitis veris principiis constitutivis, & præcipuis pariter proprietatibus, ad operationem, quam in corpore humano vivo exercet, investigandam progrediar, ut sibi quisque eò clariorem postea de virtutibus specialioribus, quas in variis exserit morbis, formare possit ideam. Illam ita autem comparatam esse credo: Quando camphora pura, sub sicci pulveris forma, adsumitur, minimè quidem à liquore gastrico, qui nimium aquosus est, ac nullum ea propter in camphoræ moleculas ingressum invenit, in ventriculo solvitur, facillime nihilominus & intra breve tempus, ob laxiorem molecularum minimarum cohesionem & insignem plane ac mirabilem teneritudinem atque volatilitatem, blando calore in effluvia subtilissima resolvitur, quæ

<sup>a</sup>) Vid. Transact. Angl. Comp. T. III. p. 362. <sup>β</sup>) V. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1721, p. 193. <sup>γ</sup>) <sup>δ</sup>) Miscell. N. C. G. Dec. II. ann. 5. obs. 8.

quæ non tantum in ipsius ventriculi tunicas vividam quandam impressionem, lenissimi ardoris nomine forsan insigniendam, faciunt, sed rudi etiam materiæ perspirabili, sæpius in ventriculi & intestinorum cavo præsentî, mixta, eam in motum celeriores secum rapiunt, unde aliter fieri nequit, quin hac actione motus peristalticus, eodemque mediante cruoris per vasa ventriculi arteriosa ac venosa progressus citatior evadat atque vegetior, & flatuum quoque discussio atque expulsio promoveatur.

§. 13.

Moras tamen non adeo diuturnas memorata camphoræ resolutæ effluvia mobilissima atque tenerrima in ventriculo & intestinis nectunt, sed paullatina inhalatione partim per ordinaria vasa lactea, partim etiam & quidem quoad portionem maximam, per numerosissima vascula bibula venosæ originis ad sanguinem & reliquos humores circulantes transferuntur, eosdemque, quum intimiorem cum illis, ceu maximam partem aquosis, miscelam subire nequeant, insigni celeritate, sub halitus siccissimi forma, & fulminæ prope modum materiæ instar, transeunt, solida nervoso-membracea elastica leni, quem imprimunt, ardore ad vegetiores contractiones irritant, spherulas cruoris, aliorumque liquidorum moleculas secum blandè in motum rapiunt velociorem, crassa ac viscida citra impetum dissolvunt, & sic, meatuum capillarium ac pororum cutis obstructi-  
onibus referatis, meandi ac remeandi libertatem humoribus reddunt, adeoque largiorem quoque expirationem periphericam, qua ipsa tandem è corpore rursus excluduntur, provocant: Unde rationem etiam satis patefcere opinor, cur camphora, in substantia exhibita, nullum ordinario caloris, nullum notabile pulsus augmentum, sed notabile potius refrigerium sanis æque atque ægrotis corporibus adferat.

Præmissis hisce ac fundamenti loco substratis, nunc de singularibus camphoræ virtutibus medicis, & speciatim de morbis, in quibus egregium ferre consuevit auxilium, recensendis cogitandum erit. Agmen ducant *Febres exanthematicæ* cujuscunque generis, pestilenciales nimirum, petechiales, purpuratæ, variolosæ &c., quæ ordinario, præsertim si gravioribus stipatæ accedant symptomatibus, copiosæ, crassæ, acri, ac plus minusve corruptæ ac putridæ materiæ, per universam humorum, præsertim cruoris, massam disseminatæ, & plerisque tubulis capillaribus impactæ, originem debent, quam sola persæpè natura, ob crassitiem. & tenacitatem, aut pertinacem canaliculorum minimorum obstructionem tempestivè ad habitum cutaneum transferre atque expellere nequit. In hisce igitur morbis multum auxilii à camphoræ usu expectandum erit, dum illa, canaliculos ac poros obstructos referando, & peccantem materiam resolvendo, necessariam exanthematum expulsionem egregiè adjuvat ac citò promovet. Illustrandi probandique sine ex pluribus, quas successive in praxi mea colligere licuit, observationibus unicam duntaxat fusius adducere placet: Incidebat nimirum juvenis viginti quatuor annorum, temperamento sanguineo-melancholico, & satis robusto corpore præditus, tempore autumnali in febrem continuam, non adeo gravibus in principio symptomatibus stipatam; ast die tertio, licet interea consveta ac satis bona medicamenta, resolutentia, diluentia, temperantia ac diaphnoica exhibita fuissent, notabilis singulorum exacerbatio sequebatur, & præter delirium & æstum, etiam convulsiones artuum cum intercurentibus animi deliquiis accedebant, adeo, ut ægri conditio deterrima videretur, & omnes, qui aderant, jam conclamatum esse faterentur. In incipiti ac fermè desperato hoc rerum statu pulveres aliquot ex septem granis camphoræ, scrupulis



lis duabus nitri & drachma dimidia lapidum cancrorum ci-  
 fratorum compositos, in aqua simplici exhibere jussi, qui  
 intra breve etiam tempus largissimam purpuræ albæ acrubræ  
 expulsiōnem cum plenaria symptomatum urgentium, deliri-  
 iū videlicet, convulsiōnum &c. remissione, efficiebant. Tu-  
 bercula hæc atque pustulæ, etiamsi camphora post expulsiō-  
 nem non amplius exhiberetur, per aliquot dies optimè in  
 superficie corporis perdurabant, & quoad maximum nume-  
 rum cum pruritu quodam jam jam exsiccati incipiebant, cum  
 æger, virium reditum sentiens, de lecto surgeret, & cap-  
 tandi aeris liberioris causa, in ædium vestibulum, vesti-  
 mentis leviter saltem tectus, exiret. Sed, ecce! maculæ  
 illæ, atque tubercula, quæ ultimò prodierant, & adhuc in  
 suo erant vigore, sub imprudenti hac aeris frigidiusculi ad-  
 missione denuo regrediebantur, & mox major iterum æstus,  
 cum respiratione difficili, delirio leviori & aliqua convulsiō-  
 ne redibant, ut magnum vitæ periculum rursus adesset. Ad  
 camphoræ igitur usum denuo confugiebam, eodemque effi-  
 ciebam, ut exanthemata retropulsa iterum copiosè erumpe-  
 rent, & memorata graviora symptomata evanescerent, tan-  
 demque æger, majus ab illo tempore obsequium gerens,  
 post hebdomadis decursum perfecte convalesceret.

§. 15.

Similem effectum heroicum atque felicem tum mihi,  
 tum aliis quibusdam, qui meo svasu camphora internè fre-  
 quentius usi fuerunt, in purpuratis æque atque petechiali-  
 bus & variolosis febribus annotare contigit, immo sine dubio  
 contigisset sapius, nisi insigne fastidium, quod odor fortis  
 & sapor hujus concreti ægrotantibus, præsertim infantilis  
 ætatis, pariunt, nobile hoc remedium reponere creberrimè  
 juberet. Quibus tamen adhuc adjiciendum est, in febr-  
 bus memoratis camphoram minoris deprehendi efficaciam, &  
 interdum planè non conducere, quando gravior præcesit  
 ira-

iracundia, & largius proinde biliosa materia humoribus inmixta est. Non statim quoque porrigenda est, si ægri sint plethorici, sed venæsectio prius administranda, & cruoris copia paullulum minuenda erit, ut moleculæ ejusdem mobilissimæ postea meatus eò liberius transire possint. Non adeo proficius denique usus illius primis statim morbi diebus reperitur, sed demum circa diem tertium aut quartum, quo natura materiam præparatam, cujus resolutionem aliis interea medicamentis promovere præstat, excludere & ad habitum cutaneum transferre intendit, exhibenda est.

§. 16.

Efficaciam, nisi majorem, certissimè tamen parem, camphora monstrat in *Purpura chronica scorbutica*, quæ absque febre accedit, vel leviolem duntaxat, catarrhali simillimam, adducit pedisequam, & singularem humorum dyscrasiam falso-urinoso-mucidam, putredinis caractere magis minusve signatam, causam agnoscit præcipuam. Maculæ, quæ erumpunt, & pectus, dorsum, collum, & maxime musculosas artuum partes occupant, latæ sunt, grossi nonnunquam magnitudinem æquantes, ac valde pruriginosæ, præsertim, quando serum acre emittere incipiunt. Facile iterum recedunt, & materia, rursus ad interiora delata, hinc inde subsistens, multiplici corpus tortura adfcit, & omnis generis symptomata provocat, quæ denuo tamen remittere consueverunt, quamprimum maculæ sponte iterum prodeunt, aut congruis medicamentis expelluntur. Quæ expulsio autem cum medico practico multum persæpè facessat negotii, heroicis opus est remediis, quorum præcipuum camphora videtur, si, præmissis tamen, ad primas vias saburra crassiori repurgandas, laxantibus, nitro, æque ac in febribus exanthematicis acutis, jungatur. Hoc enim blanda, quam præstat, resolutione, viam transituris camphoræ moleculis liberiolem parare, & violentiores partium collisiones, quibus alias ætus quidam præternaturalis aut justò tamen auctior succedit, præcavere valet.

§. 17

§. 17.  
 Ad corroborandam dictorum veritatem multa pariter mihi exempla suppetunt, attamen, ne dissertatio in majorem, quam limites præscripti permittunt, molem excrescat, bina faltem hac vice subjungam: Conquerebatur nimirum vir quidam triginta & quinque annorum, vita laboriosa, & robusto corporis habitu gaudens, de lassitudine membrorum, inappetentia, segnitie & suppressione alvi, phlogosis creberrime supervenientibus, nec minus de respiratione difficili, pectoris constrictione stipata, & tensivis dorsi atque artuum doloribus. Tandem, cum prædicta per aliquot hebdomadam decursum perpessus esset, angina spuria cum tussi ac gravi raucedine succedebat, & æger, screatus æque ac tussis ope, copiosam materiam mucido-acrem ejiciebat, donec numerosa macula scorbutico-purpurata in dorso, collo, pectore, artubus, quin ipso vultu, prodirent, quæ aliquale quidem levamen ac morbi decrementum adferebant; verum, cum non adeo diu in cute hærent, ac modo erumperent, modo iterum disparerent, perfecta sanitas, licet congrua remedia laxantia, resolventia, temperantia, depurantia & expellentia jam per septem hebdomades notabili quantitate adhibita essent, neutiquam sequebatur. Diuturnæ igitur curationis pertæsus, pulverem, ex camphoræ granis octo, spermatis ceti & lapidum cancrorum ana granis sedecim & niri drachma semisse concinnatum, atque in quatuor doses divisum, mane ac vesperi adsumere jussi: Quo factò, largus sudor, cum numerosissimis maculis atque tuberculis scorbutico-purpuratis, post quamcunque pulveris adsumtionem erumpebat, symptomata paullatim evanescebant, & sanitas, maculis, aliquo tempore elapso, exhalatione confumtis, redibat.

§. 18.  
 Alterum, quod adferre placet, exemplum descripto non  
 C adeo

adeo dis simile est, ac sese ita habet. Corripiebatur vir quidam literatus, triginta annorum, vitæ sedentariæ deditus, primum leviore febricula catarrhali, quæ tussiculam quidem ac mitiorem coryzam comites adducebat, quarto tamen die, erumpentibus in pectore maculis scorbutico-purpuratis valde pruriginosis, rursus cessabat. Maculæ hæ per triduum in cute conspicuæ erant, & ægri conditio satis bona existeret ac tolerabilis. Attamen, cum die sequente maculæ denuo disparerent, adeoque materia ad interiora remearet, varia statim pathemata, quæ multo ægrotantem adficiabant cruciatu, superveniebant: Quandoquidem patiens modo de forti pectoris constrictione, respiratione difficili, ac tussi sicca, modo de anxietatibus præcordialibus, doloribus ventriculi atque intestinorum spasmodicis, pertinaci alvi obstructione stupatis, modo de dolore capitis gravativo ac tensivo, cum vertigine, stupiditate, atque susurrum aurium conjuncto, modo de artuum ac dorsi gravi tortura, & molestissima suræ in pede utroque constrictione &c. querimonias gerebat. Adhibitis decentibus remediis, maculæ subinde quidem in pectore, dorso & artubus in conspectum veniebant, at, cum diu perseverare renuerent, & post brevem moram rursus retrogrederentur, nulla reditura sanitatis perfectæ spes adfulgebat, & æger per integrum ferè annum miserè vexabatur. Sub tædioso igitur hoc curationis statu tandem ad camphoræ usum confugiebam, eodemque, decem dies continuato, effecti, ut larga sudoris & macularum eruptio denuò contingeret, cui paullo post plenaria symptomatum quorumvis remissio, & sanitas perfecta succedebant.

## §. 19.

Præter febres exanthematicas, & purpuram chronicam scorbuticam, in censum ægritudinum, quibus camphora, modicè ac tempestive usurpata, egregiè medetur, etiam

*Adfectus inflammatorii, convulsivi & venerei* veniunt. In tumoribus enim inflammatoriis, qui vel meré sanguinei sunt, vel sanguineo-serosi, & nunc ideo à solo cruore, in minoribus arteriolis subsistente ac firmiter impacto, nunc à sanguine, in vasa serosa, seu canaliculos arteriosos secundi generis vi propulso, ibidemque cum lymphâ acriori ac viscidiori mixto, producuntur, minutissimâ ac mobilissimâ camphorâ resolutionis molculâ massam inhærentem & obstruentem blande dissolvunt, dissolutione hac canaliculos obstructos blande humoribus transitum liberiores reddunt, & sic ipsam inflammationem tollunt. Sin subinde quoque impacta materia fixius hæreat, adeo, ut plane ad circulum reduci nequeat, camphora suppurationem, tunc temporis necessariam, promovet, & hac etiam ratione desideratum fert auxilium.

## §. 20.

Proficua in specie camphora deprehenditur, & vires monstrat eminentiores in refractariis inflammationibus venereis, aliisque contumacibus, ad gangrænâ & sphacelosas corruptiones proclivibus, internæ pariter atque externæ usurpata; dum humores scilicet, in prioribus adfectibus copiosa atque tenaci pituita acri & corrupta remixtos, in posterioribus autem cruorem, omnibus vel tamen plerisque partis, gangræna correptæ, vasculis firmissimè impactum, potentissime dissolvit, adeoque imminentem sphacelationem impedit. Egregiam hanc virtutem sæpissimè, in specie autem apud binos juvenes, venereis adfectibus laborantes, annotare mihi contigit. Prior ex impuro concubitu sibi gonorrhoeam virulentam contraxerat, eidemque, cum imprudenter & intempestivè adstringentibus corruptæ materiæ seroso-purulentæ effluxus sisteretur, paullo post varia ulcera cacoethica, maxime in capite & circa nasum succedebant, quæ, etiamsi consveta purgantia mercurialia, & sanguinis puri-

purificancia per aliquot hebdomades sat copiose adhibita fuissent, augmenta quotidiana capiebant, adeo, ut crustæ scabiosæ foedissimæ totam calvariam occuparent, & siccum quoque ulcus circa nasum ad interiora altius penetrare minaretur. Aeger itaque summopere anxius me accedebat, & singulis prolixè expositis, auxilium meum implorabat. Ego proinde, cum ex relatione jam satis cognoscerem, mitiora consveta nihil amplius efficere, præter decoctum lignorum, pulveres septem, ex drachma dimidia camphoræ, scrupulo uno concharum præparatarum, & integra nitri depurati drachma componendum, præscripsi, & cum admiratione observavi, post semel duntaxat reiteratum horum pulverum usum, ulcera calvariæ humida optimè exsiccari, crustas siccas, & antea circumquaque inflammatas decidere. Juvenis posterior, qui simili miasmate infectus erat, bubonibus, seu gravi glandularum ingvinalium tumore, nec minus gonorrhœa, caruncula urethræ, & horrenda phimosis laborabat. Variis etiam purgantibus & purificantibus, ast sine desiderato effectu, jam usus erat: Nam præputii inflammatio quotidie crescebat, idemque adeo glandem contegebat, ut urina, tum ob hanc causam, tum etiam carunculam, in urethra enatam, vix amplius cum corrupta materia ulcerosa effluere posset. Dolores præterea erant immanes, & materia effluens deteriorem in dies indolem adsumebat. Cum meum igitur consilium peteret, in mentem mihi egregia camphoræ efficacia denuo veriebat, adeoque eam tum internè cum lapidibus cancorum ac nitro adsumere, tum etiam externè, cum pulverisato bolo Armena & vino adusto vulgari in cataplasma prius redactam, adplicare jussi. Quo factò, intra biduum felicissimè pariter effeci, ut, mitigata inflammatione, balanus & præputium detumescerent, & paullo post singula pathemata, excepta gonorrhœa, quæ aliquamdiu adhuc perdurabat, perfectè remitterent.

§. 21.

Multi camphoræ usum internum, quem alioquin in vulgaribus inflammationibus lubentissimè admittunt, in erysipelaceis planè damnandum esse opinantur: Ast in hisce pariter, me sentiente, penitus improbari ac disvaderi nequit, dummodo practicus ad specificam inflammationis causam materiale debite respiciat. Nam quoties materia fervida biliosa, post prægressam iracundiam fortiozem, largius ad sanguinem delata, eidemque intimis mixta est, & cruoris stasi inflammatoriæ stimulis suis occasionem præbet, camphoræ usus non adeo tutus videtur; sin sanguinis vero spissitudo atque copia, vel levior etiam canaliculorum arteriosorum crispatura & constrictio, ab aliis causis provocata, eam producant, non video, qualem noxam camphora inferre possit, eamque potius potenter ac salutariter materiam subsistentem discussuram esse credo. Quid citius enim in vasa arteriosa secundi generis, quæ in hujusmodi inflammationibus obstructionem patiuntur, penetrare potest, quam camphora, in tenerrimas moleculas resoluta? Quid potentius etiam, camphorâ, partium cohæsiõnem præternaturalem in fluidis stagnantibus tollere, & resolutionem eorundem atque discussionem halituosam, qua harum inflammationum curatio nititur, procurare ac promovere valet? præsertim, quando venæsectio, plethora aut congestione præsentem, prius administratur, & diluentia temperata subjunguntur, & interponuntur.

§. 22.

Ratio denique, cur camphora, interne adhibita, in spasmodicis quoque, doloribus spasmodicis, & adfectibus convulsivis nunquam heroicum existat remedium, ex originis eorum ac generis contemplatione rerum medicarum gnaris facillimè patebit. Frequentissimè nimirum convulsiones, ut & spasmi atque dolores spasmodici, quarum ægritudinum binæ posteriores species genericae absque sensibili parti adfectæ mota-

titatione ordinariò contingunt, priores autem visibilem, violentiorem, ac persæpe valde horrendam partium concussionem, immo subsultationem comitem habent, materiæ cuiusdam heterogenæ, in tubulis sangviferis aut lymphaticis subsistenti, ac magis minusve impactæ, nunc copiosæ ac viscidæ, adeoque ob molem prementi ac distendenti, nunc pariori acri continuo vellicanti, natales debent: Hinc aliter sanè fieri nequit, quin solida nervoso-membranacea plus minusve irritata in contractiones solitò fortiores, stimulis tamen intuitu vehementiæ proportionatas, ruant, & hisce mediantibus materiam inimicam, inhærentem, infixam, subsistentem aut saltem stagnantem, denuo excutere atque propellere, adeoque circuli libertatem restituere nitantur. Necessario igitur ac salutari huic negotio promovendo cum camphora, ceu pharmacum resolvens, discutiens & aperitivum excellentissimum, existat aptissima, in propatulo est, cur, tollens causam turbarum, ipsas etiam turbas, spasmos nempe, atque convulsiones tollat, & naturæ validas in hoc passu manus auxiliatrices porrigat. Resoluta quippe & ad circuitum redeunte materia crassa, copiosa, & impura obstruente ac premente, excusis etiam particulis acutis, rigidis, vellitantibus, referatis meatibus, restituta circuli libertate, & recrementis hinc inde per organa excretoria, præsertim per cribum cutaneum ejectis, violenta solidorum contractio illico cessat, & dolores atque convulsiones corpus adficere desinunt.

## §. 23.

Etiam si memorata veritate nitantur, sine limitatione tamen neutiquam accipienda erunt: Occurrunt quippe casus huius commatis, in quibus cum camphoræ usu interno cautius mercandum, quin ab eodem penitus abstinendum est. Subinde nimirum & satis quoque frequenter allegati adfectus spasmodico-dolorifici & convulsivi plethoræ, congestioni aut organicæ expansioni cruoris, scoriis biliosis rarefactis



his largius referti, originem debent; quibus presentibus caussis camphora non adeo proficua, immo nonnunquam plane noxia deprehenditur, dum sanguinis ebullitionem atque fervorem, commovendo & biliosas moleculas uterius expandendo, nec non congestiones magis augere, quam minuere videtur. Supra igitur memorata precipue de adfectibus valent dolorificis, spasmodicis atque convulsivis, ex visceri cruoris, aut lymphæ mucidæ & acris stagnatione, stasi, ad- & inhaesione primario resultantibus: Quæ humorum vitia camphora valida, quam præstat. resolutione ac prompta discussione, ob insignem, quæ pollet, molecularum subtilitatem ac mobilitatem, tollere valet. Novi feminam, quadraginta quatuor annorum, temperamenti sanguineo-melancholici, quinque liberorum matrem, quæ, menstruo fluxu tercio abhinc anno jam cessante, atrocibus uteri doloribus corripiebatur, quibus paullo post pectoris & artuum superiorum convulsiones jungebantur, tanta stipatæ spirandi difficultate, ut suffocationis fere periculum incurreret. Ad auxilium vocatus, primò clysterem emollientem injicere, & plebotomiam in pede administrare iussit; at, cum remedia hæc morbum cum truculentis suis symptomatibus nondum perfecte profigerent, præmissis laxantibus, ex manna & rhabarbaro parato, electuarium ex olei amygdalarum dulcium uncia dimidia, spermatis ceti drachma semisse, camphoræ granis duodecim, croci orientalis granis tribus, & sachari Canariensis drachmis duabus dupla portione componendum, & interne per intervalla adsumendum, externè verò unguenti loco pectori illinendum, præscripsi; quò etiam per aliquot dies adhibito, pectoris atque artuum convulsiones, antea per vices adhuc recurrentes, cum uteri doloribus perfecte remittebant, redibat spirandi libertas, & elapsis aliquot diebus scabies humida prodire incipiebat, quæ morbum, quisquillis humorum à natura, congruis pharmacis uterius suffulta, magis magisque ad cutem expulsis, perfecte tollebat.

§. 24.

Quantquam camphora in hæcenus recensitis ægritudinum speciebus precipue locum sibi vindicet, ac vires exferat eminentiores, nullo tamen modo dubitandum est, quin ea in incipientibus pariter tumoribus cachecticis, œdematosi, atque plerisque tumoribus partium, præsertim glandulosarum, frigidis, egregie profutura sit. Quum illa enim sanguinem crassum ac viscidum resolvat, lympham mucidam attenuet, solida lenissimè stimulet, sudorem pellat, & canalium minorum obstructions referet, unusquisque protius rationem videt, cur solidorum vegetas contractiones, cum humorum puritate & liberi ac vividiori circulo restituere, adeoque morbis memoratis mederi queat; præsertim, si purgantia, & laxantia præmittantur, & ipsi quoque camphoræ alia adpropriata, v. g. salia media &c., maxime autem nitrum depuratum, seu optimum, ordinarium ac penè universale camphoræ additamentum, jungantur. Nitrum enim blanda, quam præstare consuevit, resolutione, mobilissimis ac volatilibus camphoræ moleculis, per minutissima vascula transituris, viam quasi

pandit,

pandit, ut citius ac citra sensibiliorem impetum canaliculos penetrare, & fluida contenta spissiora promptius disjungere atque discutere queant.

§. 25.

In adfectibus spasmodicis atque convulsivis, strisura inprimis atque siccitate fibrarum insigniori praesente, praeter nitrum, persepe etiam sperma ceti, oleum amygdalarum dulcium recentissime expressum & similia cum illa miscentur, ut debita relaxatio eò citius contingat. ac justa filamentorum flexilitas certius restituatur: Tam universalis tamen, quam nitrum, haec neutiquam aestimanda sunt, nec tanta etiam bonitate gaudent, quoniam promptam camphorae resolutionem halituosam viscidis suis particulis quodammodo impediunt, & volatilium molecularum transitum per canaliculos magis retardant, quam promovent. Quod reliqua additamenta attinet, illa varii sunt generis, & pro differenti atque specifica aegritudinis curanda formali ac materiali causa, nunc ex antacidorum absorbentium, nunc falforum incidentium, nunc discutientium balsamicorum &c. classe desumuntur.

§. 26.

Nonnunquam etiam, praesertim in purpura chronica scorbutica aliisque adfectibus chronicis, camphorae exhibitioni laxantia & purgantia. uti antea pridem dictum, praemittere decet, ut primae viae à crassioribus viscidis, quae paulatim sua translatione ad sanguinem novum causae materiali fomitem suggerant, & camphorae quoque actionem remorantur, prius repurgentur: Immo, unicum duntaxat laxans aut purgans in morbis chronicis rarissime sufficit, sed hujusmodi pharmacorum exhibitionem reiterare, & camphorae usui interponere conducit, ne nova impuritas in prima culina collectio, quae in morbis chronicis plerisque ob ventriculi imbecillitatem facillime contingit, subsequatur. Multum praeterea interest, ut camphora debita forma ac iusta dosi exhibeatur. Optimam quippe, quantum mihi experiri licuit, operationem exercet, quando sub pulveris forma, & quidem in morbis acutis & exanthematicis dosi minori, quae duo vel tria grana rarissime excedere debet, in chronicis autem, praesertim valde frigidis atque pituitosis, paulò majori, nimirum à granis duobus ad grana tria, quatuor, quinque, exhibetur. Subinde tamen pillulis, electuariis atque bolis commode pariter addi poterit, etiam si sub tali forma oblatæ operatio paulò tardior atque languidior deprehendatur. Nonnulli etiam contusam potiunculis aquosis miscent, at cum moleculæ ejus aquae consortium respiciant, & maxima ex parte ad superficiem adsurgant, hoc modo non adeo apte propinatur.

Haec sunt, quae de camphorae usu interno hac vice proponere mihi placuit. Plura quidem de ea dicenda restant; verum, cum in praesenti ea duntaxat, quae propria mihi observatio respectu virtutis suggestit, communicare decreverim, à reliquorum recensione abstinere, & dissertationi finem imponam.



NOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO  
MOSI BÖHM

S. P. D.

IOH. FRIDERICVS  
CARTHEVSER

FACULTAT. MED. h. t. DECANVS.

**V**era Medicina duobus fulcris, Ratione videlicet & Ex-  
perientia, nititur, & pro meo igitur iudicio illi agunt  
prudenter, qui, postis fundamentis necessariis, ipsam  
praxin cum theoriâ, certis tamen atque evidentibus prin-  
cipiis superstructâ, maturè conjungere student. Utilissimum  
hoc rationis & experientiæ connubium Tibi pariter, Candi-  
date doctissime, sub studiorum tuorum primordiis jam curæ  
cordique fuisse publicè testari possum: Nam per integros sex  
annos non tantum Collegiis meis, tam publicis, quam pri-  
vatis, diligentissimè interfuisti, sed tuæ quoque gentis agro-  
rantes, qui meum postulabant auxilium, mecum visitare, &  
dogmata, ex mea aliorumque institutione hausta, observa-  
tione creberrima confirmare allaborasti. Sapius itaque viri-  
bus exploratis, studiisque academicis ad justam perductis ma-  
turitatem, nunc demum Musis nostris valedicere, & ipse  
praxin medicam, prius tamen honoribus Doctoralibus legi-  
timè ornatus, alibi suscipere decrevisti. Gratulor igitur Ti-  
bi felicem stadii academici decursum, gratulor Doctoris gra-  
dum, quem hodie, absoluto actu publico disputatorio, ob-  
tinebis, & ex animo precor, ut in posterum semper felix  
faustusque sis, & medicam scientiam, quam Tibi assiduo stu-  
dio comparasti, ad multorum agrorantium fructum atque so-  
latium transferas. Vale. Dab. die XV. Octobris MDCCXLV.

D

IOH.

IOHANNES FRIDERICVS  
POLAC

D. PROF. IUR. ET MATHES. ORD. P.

MOSI BÖHM

LIPPNA BOHEMO

ET OMNIBVS LECTVRIS

S. P. D.

**E**st medicina apud ægros non solum usus, sed & apud sanos ingens honor; & qui artem salutarem ad hunc finem perducunt, iis nunquam aggregantur, quibus turpe illud obicitur, quod gravis annus eis maxime in quæstu fit. Et quamvis plerique tuæ gentis in notam nimia cupiditatis captandi lucrum haud raro incurrant, ego tamen de vitæ morum ac studiorum tuorum ratione aliter longe sentio. Si quidem qui, quemadmodum tu per sex & quod excurrit annos in hac nostra Viadrina, laudabili conamine fecisti, studium Philosophicum ac Mathematicum cum Medicinâ ita coniungit, ut nihil quod ad solidam scientiam ullo modo pertinere videatur, omittat, is de pane lucrando ut aitur & captando lucro per auream Praxin, minime certat, ad quam citato alias cursu a multis properatur. Qua propter iure meritoque Tibi honores quos nunc in Medicina consecutus est fumos ex animo gratulor. Experiaris fortunam Medicam Det Tibi Galenus opes. Dat. Francof. cis Viadrum die XV. Octobr. 1745.

CANDI-

CANDIDATO DOCTISSIMO DIGNISSIMO QVE  
MOSI BÖHM  
S. D.  
ALEXANDER GOTTLIEB  
BAVMGARTEN  
PR. PHILOS. P. O.

**P**rimas has, si recte memini, Tuæ gentis homini scribo litteras, neque tamen easdem vltimas spero fore, si plures ex antiquissima natione Tuis et Tecum veterum sapientum vestigiis insistent. Minus aptum videatur germanum ad ebraicum latine scribere, sed recte scribat romanorum lingua ad medicum philosophus. Non de sorte, pignoribus, vsuris, mercimoniis, actionibus obligationibusue quicquam est inter nos commercii. Neque tamen vna gratulatione de nanciscendis propediem honoribus erga Te scribendi fungar officio. Fatebor ingenue non multum veræ laudis, aut nihil inesse mihi videri titulis eiusmodi, quos vel aulae, vel etiam academiae, dignis et indignis, quis nesciat? non ita raro conferunt. Ea tamen ratione publice legi in doctoribus artis medendi, qua Te iisdem adscribendum esse testimoniis fide dignis audui, dudum bonis litteris vacantem, contra præiudicatas opiniones strenue pugnantem, studium, quo præcipue fidas, omni sollicitudine tractantem, et opem postulantibus aegrotis, quo cautiore, hoc magis salutare manus afferentem, eam ego melioris notæ laudem et materiam vtrique censo dignissimam, de qua Tibi gaudeant, quotquot Te diligunt, boni. Neque dissimulabo perplacuisse, quam præ Te fecis, diligentiam in perquirendis diuinis legibus, et inustatum quidem, at nihilo commendabilem minus animum, quotidie discendi non nihil noui, quod eruditum sit, tunc etiam, quando doctor vocaberis. Quos patientiores in dies deprehendes bonarum litterarum campos, si persistas in proposito firmus: in his pro mea prouincia forsitan non temerarius auctor Tibi suatorque fuerim, curatius Tuam faciendi historiam Tuæ gentis philosophicam, quæ tantum non historiam medicinae inter iudæos celebrius exercitæ comprehender. Quemadmodum rerum a maioribus nunc bene, nunc perperam cogitarum gestarumque verior et copiosior animaduersio factum, ignorantia comitem, eruditionis dedecus, optime reprimi, ita præclari veterum ausus, præsertim propius ad nos pertinentium, quando non caecis assentationibus, sed certa factorum fide perspiciuntur, erigunt animum mirifice, qui se quoque possit humo tollere, patrumque memoriam viuus exemplis æmulando renouare. Si quis hæc legat, iudæis infensor, quare, nesciens, mirabitur ad eorum exempla me prouocare, quos ipse potius alto supercilio contemnendos omnes putet, quam vlla sequendos imitandosque ratione. Verum aequa mente,

sine turbis et risu plebeio rem consideremus. Refrinxit, nescio quo fato, nationis vestrae desiderium cognoscendi propius sententias, quas de philosophicis et grauioribus aliis ad ea spectantibus foueant probentque gentes, inter quas nunc viuis. Quid Cartesius, Lockius, Leibnitijs, Nevvtonus, quid physycorum empiricorum recentior grex sibi velint, vestriatum, in germania praesertim, anquirit vel duo, vel nemo. Paulo post futuro doctore quum scribo, non spero mihi a Te obiectum iri eos, si qui forsant artis medendi studiosi per transennam quarundam arcaosum, et peruolutorum, quos compendia philosophica dicunt, libellorum de philosophis recentioris aetatis vel viderunt aliquid, vel vidisse putarunt, Tibi iam esse non potest incognitum, qui tirocinijs academicis et rudimentis scientiarum, quae per eas informari docendo possunt, vnice acquiescat, neque protenus in adyta doctrinae penetret, satis ineptum ariensem ad aulae sapientiae subsistere. Neque consuluerim vlla ratione, vel incitauerim ad meditationes alicuius ex nominatis, aut alterius magni viri, quem aetas nobis propior tulit, velut ad scopulum, adhaerescere. Mihi nunc sufficit inuenta eorum non omnino negligi, non ignorari barbare. Hanc peregrina solum indagandi cupiditatem vti nunc iudaeis etiam literas profertentibus quasi excusam, non sine admiratione, sic olim semper inter eos floruisse singulariter, non sine delectatione deprehendo. Qui chaldaeos inter Assyriosque vitam debebant, sapientiam horum et discebant audierunt, et eidem assentiebantur, quantum eorum religio patria, cui recte primas in cognoscendis partibus tribuebant, permittere videbatur. Qui Aegyptum vna alteraue vice petebant, doctrinas tunc ibi vigentes forsant etiam audius, quam par erat, amplectebantur, non male tamen de iisdem certiores reddi volebant. Qui ad graecos venerunt, ex disciplina graecorum, qui inter Arabes dispersebantur, more Arabum, qui inter reliquas orbis litterati gentes commorabantur, modo tunc inter eas recepto philosophati sunt, aut certe lapidem omnem mouerunt, ne ob solam supinam ignorantiam opiniones celebrium philosophorum, quorum aequales erant, odisse viderentur. Non ignoro, quantis simulatibus inter ciues suos agitati pleurumque vexatique sint eorum plurimi, qui vulgo rudiori propter sapientiam profanam videbantur execrabiles. Verum nec obstiterunt inuidiae calunniarumque nebulae, quin prudentior suorum pars cordatioris eiusmodi viros, dum vixerunt, suspiceret, et grata posteritas veneraretur. Dixi iam apertius vnum eorum, in quibus bene posse iudicem maiorum exemplis per historiam ob oculos positus animum Tui similem accendi, ne abripiatur noua superstitionis inaduerterentia, sed quid verum et rationi consentaneum, aut saltim, quid omnino nunc homines politioris ingenii de rebus grauissimis, deo, anima, mundo, natura, virtute, bene regenda familia, feliciter administranda republica statuunt, sicuti patres ipsius curarunt suo tempore, curet, roget, et non omnis quidem in hoc sit, sit interim assiduus. Verum haec Tuo arbitrio, otio, temporeque relinquamus. Mihi prius est et antiquius, mente vere philosophica, studio partium exuta, ac sincera precari Tuis studiis omnique sequenturae vitae prosperitatem successusque tam felices, auras adeo secundas atque commodas, vt mox diuque Tibi sint plurima, de quibus largas agere gratias possis bonae fortunae, fortunae sanctissimae, vnus dei cuncta gubernanti prouidentiae. Vale.

01 A 6603

ULB Halle


3

003 092 291



1007









DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
INSIGNI  
CAMPHORÆ ACTIVITATE  
MEDICA

QVAM  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU  
SUB DECANATU  
VIRI EXCELLENTISSIMI  
JOH. FRIDERICI CARTHEUSER

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.

PRO GRADU DOCTORIS  
ET PRIVILEGIIS HUIC DIGNITATI COMPETEN-  
TIBUS LEGITIME OBTINENDIS  
PLACIDÆ ERUDITORUM CENSURÆ  
SUBJECIT

Moses Böhm,

LIPNA - BOHEMVS.

M DCC XLV. DIE XV. OCTOBRIS.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis MARTINI HUBNERI.